

que rationes decidendi inserat. Ita ad-
 rit hoc compendium, quòd multa argu-
 menta simul congerentur in unum, non
 proponentur syllogisticè, nec invitatio-
 nibus tempus teretur, aut assumptioni-
 bus, aut gratiarum actionibus. Et quia
 in foro, aut deliberationibus, orationi-
 busque publicis argumenta non propo-
 nuntur syllogisticè, discet ita Juriscul-
 tor vim argumenti percipere, & laten-
 tem errorem detegere, etsi non sit syllo-
 gisticum. Neque enim Logicæ, neque
 Latinæ linguæ discendæ causa tale Col-
 legium Disputatorio-Practicum habe-
 tur. Erit & hæc utilitas, quòd in Re-
 sponsonibus & Replicationibus ex-
 temporaneis, quolibet suum sermonem
 sine alterius interpellatione, ut in publi-
 cis magnorum virorum orationibus
 moris est, deducente, meminisse necesse
 est multorum alterius argumentorum
 vel responsonum, quod nisi assuetus non
 potest, assuescet autem optimè juvenis
 tali Collegio Disputatorio-Practico.

Vul-